

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Becker Christian Dietrich Haltermann

**Horosophiae Mathematicae Exercitatio Academica Prima, Exhibens Definitionum
Mathematicarum Caput Prooemiale, De Mathesi Universali**

Rostochii: Wepplingius, [1697]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732462991>

Druck Freier  Zugang



Rn phys 1897



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732462991/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732462991/phys_0002)

DFG

2

HOROSOPHIÆ MATHEMATICÆ
EXERCITATIO ACADEMICA
PRIMA,
EXHIBENS
DEFINITIONUM MATHEMATICARUM
CAPUT PROOEMIALE,

DE

MATHESI UNIVERSALI,

QUAM
SUB AUSPICIIS CLEMENTISSIMI NUMINIS
DEI TER OPTIMI MAXIMI ,

ATQUE

BENEVOLO AMPLISS. FACULTATIS PHILOSOPHICÆ INDULTU
IN ILLISTRIS AD VARNUM ACADEMIAE

AUDITORIO MAJORI

DIE XXVIII. AUGUSTI ,

PLACIDÆ AMICORUM DISQVISITIONI SUBMITTIT
PRÆSES

M. PETRUS Becker/Rost.
ET RESPONDENS
CHRISTIANUS DIETERICUS
Waltermann: ROSTOCHIENS.

ROSTOCHII, TYPIS JOH. WEPPLINGII, UNIV. TYPOGR.

1697.

In signissimis Inclytæ Rostochiensium
REPUBLICÆ Proceribus,

VIRIS

MAGNIFICIS, PRÆ-NOBILISSIMIS, CONS-
ULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
SPECTATISSIMIS QVE,

DNNN.

CONSULIBUS,
SYNDICO,

ET

SENATORIBUS,

Dominis Patronis, Mœcenati-
bus, Evergetis, ac Promotoribus suis,
Obseqviosissima mentis observantia æstumatissimis, sum-
mopere co'erdis, cum felicissimi Regiminis, diuturni-
orisq; Prosperitatis voto integrissimo,

In humillimæ gratitudinis tesseram, Studiorumqve
Mathematicorum commendationem

Submississima animi devotione
præsentem laborem consecrat

INCLUTORUM NOMINUM

Devotissimus Cultor

PRÆSES,

NOBILISS. CLARISSIMOq; VIRO,
DN. M. PETRO BECKERO,
Doctissimi Pijssimiq; Parentis amulo F.
S. P. P.

Quoties Te, Fratresq; Tuos, intueor, Optime Beckere, toties in mentem mihi venit dictum Salomonum: Parentum corona liberi & liberorum gloria parentes. Non in alios magis quam in Vos sententia convenit. Parentem vestrum, HERMANNUM, inferiorum quondam Math. Prof. & Templi Jacobae Pastorem, serium infucatae pietatis studium & solida variarum rerum eruditio & conjuncta cum eadem summa & incomparabilis animi modestia exornavit. Hi radij dum & Vestra capita illustrant, coronam paternam gerere etiam post mortem ipsius videmini. Dum vero in paterna decora singuli magnâ laudatissimaq; amulatione evalescitis, quantam gloriam etiam post mortem celeberrimo & ipsi, dum in vivis fuit, parenti sive conservatis, sive paritis de novo? Sacram viri eloquentiam, sanctissimarum virtutum conciliatricem, & in obeundo officio exactam ad conscientiae normato industria suu exemplo HEINRICUS exprimit. Tu, PETRE, vastam illam rerum Mathematicarum scientiam, quam Parens immortali cum laude sua professus est, quasi hereditariò ab ipso acceptam, privatim haec tenus, nunc & publicè in Academiam nostram derivas. Jam & minimus Fratrum, ZACHARIAS, paternam referre indolem & in publicâ cathedrâ quasi præludere incipit eidem gloriae ad posteritatem propagandæ. Quem animum dum ex toto Vobis pectore gratulor, in Te cum primis, Fratreque Tuo majori, Mathematicarum disciplinarum scientiam, Academias nostras adeo necessariam, adeo fructuosam, summo amore complector. Vos enim vel soli haec tenus fuistis, qui orbæ heu! haec tenus illarum doctrinâ Scholæ nostræ non exiguum attulistis solatium, eosque, qui harum rerum notitiam desiderarunt, privatim cupidissimè erudiistis. Non est ullum studii genus, quod Matheleos, ex aliquâ saltem sui parte, peritiæ, si de re ex vero judicare velimus, carere queat Juris in primis civilis prudentia, quæ Rerum publicarum imperium & gubernationem complectitur, anne Regibus & Principibus consiliarios & ministros educabit, rerum Mathematicarum ignaros? Expendite apud animum vestrum, o Politices atque Juris cultores, quomodo adspirare ad consilia vel Regia vel Principalia potestis, (nec enim omnes ad litigia tantum, in foro exercenda, dejectam ad vulgaria mentem adponetis) nisi instructi & Geodesiæ, quâ, ubi opus est, controversias inter vicinos vel Principes vel privatos terras, agros, maria, urbes, montes, pontes, fluvios, turres, castella, metiamini; & Geographiæ, quâ regnorum hujus mundi & provinciarum & urbium situm exactissimè cognitum habeatis; & Staticâ, cuius beneficio librare, appendere & transferre quæcunque pondera molesque discatis; & Hydrostaticâ, quâ per antlias noxias grandium ædificiorum ædificationi aquas extrahere sciatis; præcipue vero Architecturâ, sive civilisea sit, infiniti generis ædificiis struendis inten-

dis impugnationibus bellicis idonea, sive navalis, quæ & fabricare naves & cursum navium regere docet; quibus omnibus fundamenta & principia substernunt Arithmetica & Geometria. Si Nobilis qvispiam vel Juris cultor Regi, Principi, Reip. officia sua offerat, utrum dubites, primum, de quo exploretur, hoc esse: an harum rerum vel omnium vel plerarumque, vel certe aliquarum solidam habeat notitiam? Quidque sine quibus Resp. per partes suas regi planè non potest. Vel si duo offrunt, & alter vel potando tantum & pocula exhauriendo, vel saltando & ceremoniarum gestus scitissimè faciendo, vel denique privati juris particulas curiosè allegando, promptitudinem suam, alter verò Mathematicarum illarum rerum, quas antea recensui, ostendere ipso opere scientiam norit; utrum alteri in Aulis Curiisq; prælatum iri putabimus? Ut adeò ad stuporem usq; admittari nonnunquam necesse habeant, qui rem recto oculo intuentur, quod tam pauci ex civibus Academicis ad scientias Mathematicas graffentur. Quis non ex rationibus à me adductis existimet, ejusmodi lectiones ab iis præcipue, qui civili olim vita secessi addicturi sunt, & avidissimè quæri & indefessè industriā insolitoque numero frequentari? Accepero intra paucarum hecdomadum spatum tres ab intimis magnorum Regum Ministris epistolas, quibus à me petuntur, qui generosam ipsorum sobolem cum in studiis aliis, tum præcipue in tyrocinis Mathematicis erudiant, itaq; quod dolendum est, vix in tanto civium nostrorum numero inveniendi. Ita quoq; illustrior quivis est & rerum intelligentior, Mathematica & amat ipse & in suis promotam cupit: & inæstimabile hoc studium in Academicis frigat, unde omnis eruditio haurienda esset? Tu, Beckere, & laudem præ innumeris aliis summam mereris & ipsam Academiam nostram magnopere Tibi obstringis, quod huic scientiæ, quæ sola quasi iis propria est, qui Regibus Principibusq; ad latera sedent & veteri more amici ipsorum, (quo titulo nihil magnificientius est) vocantur, juventuti nostræ Academicæ implantandæ voluntatem tuam laboremque addicis. Ita enim interea supiles illum defectum, quem hac tenuis non sine suspiriis deploravimus, quemque speramus posthac serio affectu consideraturos esse sollicitos semper de Academicæ nostræ salute Amplissimi Senatus Patres; ne ea nobis desit professio, quæ Reip. tam idoneos, tam necessarios, tam utiles procreat ministros. Quæ enim publicâ auctoritate docentur, majus inveniunt in animis discentium pondus; & impensiore ardore in ea ferimur, ad quæ publicorum doctorum voce, famâ, exemplo invitamur. Interea dum hoc Academicæ nostræ beneficium à Nobilissimo Patrum Reip. nostræ Oppidanæ Ordine & rogamus enixe & expectamus cupide, Tu, optime Beckere, cum Reverendo Fratre Tuo, hanc publico egregio tam apud exterios laudabilem operam suscipe & pubem nostram cum amore nobilissimarum Scientiarum, tum notitiâ accuratori imbuite, ne defectus tam notabilis Scholæ nostræ, tantâ nunc, quanta à multis annis non viderat, studiosorum, bonorumq; ingeniorum frequentia florenti, cum opprobrio aliquo objectetur. Deus conatibus Tui, & auxilio adspiret.

— f. — Vela. Ser Rostochii. d. XXIII. Aug. MDCXCVII.

Inter alias Disciplinas Philosophicas, suis haud defraudeandas encomiis, non infimum misereri mihi videntur locum Scientiae, divinarum nonnunquam titulo gaudentes, Mathematicae, quas in plebeis argentum, in Nobilibus ac Generosis aurum, in Principibus ac Regibus, gemmas non immerito dixeris, ut habet laude dignissimum illud invictissimi Herois Caroli M. de iisdem elogium. Quanta quippe per omnes artes disciplinas atque Scientias esse diffundat Mathesis utilitate, perque omnem vitam civilem necessitate, fusius deducentem habemus G. J. Vossium l. de Scientiis Mathematicis, conf. IV alios, Barrow & Reyherus; ut mittam in presentiarum ejusdem vel a condito primum orbe derivatam antiquitatem, neque memorem multifariam deliciarum amoenitatem, neque producam etiam subsidiorum ex recens inventis & inveniendis copiam adeoque studii, summe olim ardui, nulam ferme nunc difficultatem; quibusde singulis passim vid: Autores. Scilicet cum Amplissimus iste disciplinarum Mathematicarum usus, haudque vulgaris, ut res ipsa loquitur, prstantia angustissimis verborum nequeat includi cancellis, silere sane, quam minus loqui prstant. Ceterum ex quo Mathematum Scientiis imbuui, nisi mihi longe dulcissimo, allaboro, exercitium aliquod Academicum in hoc Scientiarum genere medianti, ut effugerem neltimidi, velignavietiam animi notam, alia fati obstitit necessitas, quam nunc superata feli- citer, sero quamvis consilium exequi in annum induxi.

Hesitanti vero, Σ , quid in uberrima materiarum segete
seligerem maximè, dubio, modo qvæ præ manibus nunc
est Scientia fortificandi, sive Architectura militaris, ab in-
signi qvem habet ubiq; terrarum usu; modo nobilissima
 Σ per omnem Europam si non orbem exoptatissima Ars
navigatoria ab ingentibus, qvæ ferre dicitur, commodis;
jam ex Astronomicis de Cometa & Stellis novis; jam
ex Astrologicis de erigendo Nativitatum Speculo, for-
mandoq; exinde judicio, Thema multis se mihi nomi-
nibus commendabant titulisq;. Quod ipsum cum du-
bio prorsus volverem animo, incidi in Manuscripta Pa-
rentis eheu! nunc desideratis simi, Professoris quondam
P. Mathem. Inf. in hac Almâ, inter quæ repperi, qvod
pluribus nunc Disputationibus D.V. publici juris facere
stat sententia, opus. Ut vero ad quam collineaverit B.
Parens metam, penitus habeat in conspectu Candidus
Lector, brevissimis sequentia videbantur præmonenda.
Scilicet, cum in florentissimo isthoc, qvo nunc degimus,
seculo Orbem literarium frustra desiderare adverterit,
Mathematicorum terminorum explicationem, qvod sa-
pius miratum se fuisse testatur Ozanam Mathematum
Professor Parif: in prefamine Operis inscripti: Diætio-
naire Mathematici; in id allaborare summò voluit stu-
dio B. Parens, ut primum terminos per universam Ma-
thesin obrios colligeret, reservatis qvæ supererant ex
Axiomatibus, Postulatis, Theorematibus, Problemati-
bus subiecturo, si vellent fata labori; qva propter ex o-
ptimis

ptimis, qui tum temporis eaq; seculi nostri etate sub manib; erant, Autoribus operâ atq; industria filiorū natū maximorum (quorum alter satis dudum concessit, alter jam dum in vivis Vir admodum Reverendus H. Becker / ad D. Jacobi Archi. D., fraterno adeoq; intimo amoris mihi vinculo conjunctissimus) Definitiones Mathematicas excerpti non tantum curavit, sed & , ni morte spem præter atq; opinionem præventus publicæ exposuisset luci. Ne vero labor ipse cum extincto nunc Autore simul extinguitur penitus, nolui ego B. Parentes isthac in parte non inharrere vestigiis, ut Exercitorum Academicorum loco B. C. D filius exhibeam sicubi Dn. Respondentium adfuerit numerus) quæ Parens quondam desideratissimus adornaverat ; elabaturus, si virtutam summum Numen viresq; concederit, quæ desiderari videbantur. Qvod si vel neglectum ordinem alphabeticum exigere, vel longe etiam plures atq; accuratiiores adjici potuisse Definitiones contendere quis velit, noverit idem, quantum ad prius, cum visum sic fuerit Autori, gravissimorum virorum, ordinem istum non adeò approbantium, rationibus non destituto, noluisse me hac in parte immutare quicquam ; obstant quippe, ut plura taceam, verba Excellentiss; Dn: Ozanam, qui cit: supra „ loco: Jen' ay pas vivi l' ordre Alphabetique, que l'on „ observe ordinairement en de semblables livres. J' ay „ cru quel l' ordre & la methode des sciences seroit plus „ propre, parce qu' on y verroit chaq; Terme en sa place

A 3

avec

, avec les Definitions des choses, &c. &c. quantum ad posterius, fatendum equidem, quod [1.] quamplures ex Mathesi terminos, Neotericorum, isto temporum articulo nondum existentium, inventis debeamus scriptis q̄e ex quibus tamen, quantum fieri illius poterit pro loci nostriratione proq; virili adjecturum me fore confido; neq; minus fatendum quod (2) isthac colligentium etas (tres decim quippe annorum circiter Vir supra memoratus tunc temporis fuit) quā par erat & q̄ non suppeditaverit ita electissimas Autorum definitiones, quiin habeat hac illave e commodiorem, atq; accuratiorem: Ceterum, cūm, qua conscriptum erat ratione, non Autori solum, sed & extraneis nonnullis Viris sane admodum Praecellentibus (quod verecundē vel tribus indigitasse pietas in Parentem desideratissimum jubet) non displaceverit, proin, ut repperi scriptum, offerre quoque non dubitari. At vero, implorata nunc modeste inevitabilis prolixitas venia, fiat sic savente Clementissimo Numine Exercitorum initium, ut paucula admodum hac vice de MATHESI UNIVERSALI præmittamus sub sequentibus.

MATHESEOS UNIVEFSALIS

CAPUT PROOEMIALE.



Mathesis s. Mathematica est scientia considerans quantitatem, qvatenus est quantitas, hoc est, secundum principia Affectiones & species.

II. Dicitur Mathesis à græco μαθησιν qvod est discere cum vero omnium

minium Disciplinarum proprium sit, ut discantur, scien-
dum, hanc disciplinam $\pi\alpha\beta' \dot{\iota}\zeta\chi\eta$ talem dici; idque inter
plura patet, quod antiquitus ante alias disciplinas pri-
mo plerumque loco addiscebatur.

III. Mathefis *Universalis* ea dicitur scientia, quæ
circa proprietates, quantis omnibus aut plerisque com-
munes, demonstrandas occupatur.

IV. *Particularis* autem quæ ad quantorum aut
quantitatis species descendit, & affectiones huic aut isti
specie ciatim, aut sub conditionibus specialibus, convenien-
tes contemplatur.

Mathefeos a. disciplinæ aliæ puræ, aliæ mixtæ; aliæ
theoreticæ aliæ practicæ.

V. *Puræ* sunt quæ versantur circa quantitatem ab-
solute consideratam, quantum ab omni materia abstra-
hitur: ut sunt Arithmeticæ & Geometria, quibus non in-
congrue, addunt alii Staticam, ut Vossius.

VI. *Impuræ s. mixtæ* sunt quæ versantur circa quan-
titatem in concreto consideratam, quantum nempe illæ
rebus sensibilibus certo tanquam subjecto inhaeret. Sic
versatur circa res cœlestes Astronomia; circa globum ter-
ræ Geometria, circa res visibiles Optica &c.

VII. *Quantitas* s; quantum, quod objectum est
Mathefeos, significatu generaliori est quicquid ulla ratio-
ne estimari potest, nimirum immediate rerum habitudi-
nes & qualitates, mediatae v. res ipsæ quibus estimabiles
illæ habitudines insunt; Significatu autem vocis specia-
liori, magisque hujus loci proprio, est quicquid mensuræ
aut numericapax, mensurari poterit aut numerari.

VIII. *Principia* Mathefeos (cognoscendi nimirum)
sunt Definitiones, Postulata, & Axiomata.

IX De,

IX. *Definitiones* sunt explicationes nominum s. il-
lustrationes terminorum, in Mathesi occurrentium v. g.
Numerus est multitudo ex unitatibus collecta.

X. *Postulata* sunt Propositiones, qvas Mathematicus sibi concedi petit: qvandoque enim Demonstraturus postulat a Discipulo, ut sibi concedat v. g. Cœlum stare; qvandoque vero propositio per se nota est, & petitur ut simplici delineatione potius, qvam probatione explicetur v. g. a dato puncto ad datum aliud linam ducere: ex dato puncto dataque circini apertura circulum describere.

XI. *Axiomata* sunt propositiones, qvæ minime demonstrantur, sed qvas omnes veras esse, per evidensissimam sui veritatem concedi oportet v. g. Si æqualibus æquivalia addantur, qvæ remanent esse æquivalia. Totum sua parte majus &c.

Dicuntur alias *Conveniens, notiones communes*; quod negari vel impugnari, ab eo qui rationis est compos, nequeant. *Maxima*: quod inserviant omnibus in universum demonstrationibus; *Dignitates* etiam, ab insigni, qvâ pro infallibilibus haberi merentur, evidentia. Differunt autem a Lemmatibus

XII. *Lemmatata* sunt Propositiones, qvæ præmittuntur vel subjiciuntur propositionibus principalibus, ut pote qvæ sine his demonstrari nequeant; suntque vel Theorema- ta vel Problemata

XIII. *Theoremata* sunt conclusiones, qvæ quantitatum jam existentium habitudinem explicitant. v. g. Iso- schelium Triangulorum, qui ad basin sunt, anguli inter se sunt æquales. it: Tres anguli in unoquoque Triangulo æquivalent duobus rectis. Qyod, si omnes in universum respicit quantitates, *Universale*, si vero ad hanc vel illam restringitur saltem, *particulare* appellatur Theorema. Si rectæ

rectæ applicatur Theorema *simplex*, si plura habuerit membra, *compositum* salutatur; Si impossibilitatem quæstionis pronuntiat, *negativum*, si possibilitatem, *affirmativum* nominatur. Si superficiem respexerit, *Planum*, si corpus, *solidum* nuncupatur. Qvod inverii demum manente eadem veritate poterit, *Reciprocum* dicitur Theorema.

XIV. Problemata Propositiones sunt, qvæ propounderuntur ad aliquid efficiendum; s. qvæ docent, qvomodo construi quicquam aut possit aut debeat. Enuntiatur autem semper per infinitivum; communis ejus clausula est: *Qvod erat Faciendum* e. g. super data rectâ Triangulum æquilaterum, sive quadratum extruere.

Pro solutionum a varietate varia Problematum emergunt nomina. Est enim vel *lineare*, quod ope linearum Geometricarum lese interiecantum; *Planum* quod circumferentiarum circuli ope; *solidum* quod sectionibus duabus conicis solvendum offertur.

XV. Problema *Ordinatum* dicitur, quod unicatum ratione solvi poterit; quale est per data tria puncta circulum describere, cuius unicum est centrum.

XVI. *Inordinatum* quod infinitis ferme solvi poterit modis, & rationibus, quale est: per data duo puncta circulum describere.

XVII. Solutio a. problematum vel *Rationalis* est, quæ numeris exprim rationalibus poterit; vel *irrationalis* quæ exprimi numeris istiusmodi non potest.

XVIII. *Corollaria* sunt ex Demonstrationibus per se fluentes propositiones; s. *Corollare* est consequarium quod è facta demonstratione tanquam lucrum aliquod colligitur.

XIX. *Porisma* est generale aliquod theorema, quod facta demum Problematis constructione & demonstratione obvenit.

XX. *Sibolum* observatio est $\omega\zeta$ in παρέδω oblata,
notatunque dignissima.

XXI. *Affectiones* quantitatis vel immediatæ sunt
vel mediatæ. *Immediatæ*: Divisibilitas & mensura,
mediatæ: Totum s. aggregatum, Differentia, Pars,
Multiplex, Ratio, & Proportio.

XXII. *Divisibilitas* est affectio quantitatis, secun-
dum quam dividi poterit quantitas. Estque vel indefi-
nita l. infinita.

XXIII. *Indefinita*, quæ certis constat partibus
suisque circumscribitur terminis, uti numeris 6.

XXIV. *Infinita* est, cui semper aliquid addi vel
aufferri potest; ut numerus in infinitum excurrens, h. e.
cui unitatem semper addere licebit.

XXV. *Mensura* est Affectio quantitatis, secundum
quam quantitas partibus suis determinatur. Sic 6.a.2.
numeratur, & in tres partes dividitur. Hinc 2. est quan-
titas mensurans, 6. vero quantitas mensurata.

A *Mensura* quantitates dicuntur commensurabiles
vel incommensurabiles.

XXVI. *Commensurabiles* quantitates sunt, qvas
eadem mensura metitur. Sic linea A. 8. pedum com-
mensurabilis est linea B. 13. pedum, cum linea C. unius
pedis lineam A. & B metiatur: hujus nota plerumq; 

XXVII. *Incommensurabiles* a. sunt, quorum nullam
communem mensuram contingit reperiri. Sic v. 6.
incommensurabilis est v. 5. signum ejus hoc solet
esse. 

XXVIII. *Metiri* numerus numerum dicitur per
illum numerum quem multiplicans, vel a quo multipli-
catus, illum producit. Unde metiri quantitas in genere
dicitur, quæ exacte dividit aliam quantitatem, eandemque
exhaustit.

XXIX.

XXIX. *Totum* s. aggregatum est quantitas una, duabus l. pluribus quantitatibus ejusdem generis æqualis v. g. numerus 6. est totum s. aggregatum, 2. & 4. it. 3. & 3. &c.

XXX. *Differentia* est quantitas qva duarum quantitatum ejusdem generis una alteram excedit, qualis inter numerum 6. & 4. est 2. quippe quo numerus 6. numerum 4. excedit.

XXXI. *Pars* est quantitas minor majoris, quæ in majore alia quantitate continetur. Hinc 3. est pars teritia numeri 6. Estque vel aliquota l. aliquanta.

XXXII. *Pars aliquota*, est qvæ aliquoties per se sumpta reddit suum totum, sic 4. est pars aliquota numeri 8. 12. 16. &c; nam 2. X 4. = 8. 3. X 4. = 12.

XXXIII. *Pars aliquanta* est, qvæ aliquoties sumpta non exhaustit exacte suum totum ut 3. & 4. respectu 10.

XXXIV. *Multiplex* quantitas est quantitas quantitatis major minoris, cum minor metitur majorem h. e qvæ aliam minorem quantitatem aliquoties in se continet. sic 9. est multiplex numeri 3.

XXXV. *Ratio* est duarum quantitatum ejusdem generis, qvæque multiplicatæ se mutuo superare queunt, mutua qvædam secundum quantitatem habitudo. Cujusmodi in numeris inter 4. & 8. Estque pro terminorum diversitate alia æqualitatis, alia inæqualitatis.

XXXVI. *Æqualitatis* ratio est, qva duo termini æqvales inter se conferuntur sic 2. ad 2. 4. ad 4. &c.

XXXVII. *Inæqualitatis*, qva inæqvales duo termini sibi invicem comparantur. Estque pro ratione collationis vel inæqualitatis Majoris vel Minoris.

XXXVIII. *Majoris* inæqualitatis ratio est habitudo quantitatis majoris ad minorem v. g. 6. ad 3.

XXXIX.

XXXIX. *Minoris in æqualitatis contra, habitudo quantitatis minoris ad majorem v.g. 3 ad 6.*

Reliqvas Rationum divisiones infra suo loco.

XL. *Proportio* est plurium rationum comparatio e. g. ut 8. ad 4 ita 6. ad 3. rectius proportionalitas dicta, cum aliis ratio & proportio sint Synonyma. Hujus nota est :: Estque alia continua alia discontinua:

XLI. *Continua* In qua continua terminorum collatio fit, h. e. in qua terminus intermedius bis comparatur, semel cum antecedente, fitque sic consequens, & semel cum consequente, fitque sic antecedens, ut sicut se habet 16. ad 8. ita 9. ad. 4.

XLII. *Discontinua* qvæ & distincta s. separata vocatur, est, in qvæ terminorum collatio interrupta est, h. e. in qvæ nullus terminus bis cor paratur. sed qvivis illorum aut tantum est antecedens, aut consequentiam qualis est inter 12. 4. 9. 3. ut 12. ad 4. ita 9. ad 3.

XLIII. *Demonstratio* Mathematica est argumentatio aliud ex alio deducens, qua de propositionis cuiusdam indubitata veritate vel falsitate, possibilitate vel impossibilitate reddimur certiores. Estque affirmativa vel negativa Geometrica vel mechanica.

XLIV. *Affirmativa* qvæ enuntiationibus affirmativis, quarum alia ex aliâ deducitur, concludit tandem quod erat Demonstrandum

XLV. *Negativa* qvæ, quod ita sese propositio habeat, ab absurdo exinde necessario fluente, si aliter se haberet, demonstrat. Dicitur alias ad impossibile reductio, in Marthesi frequentissima.

XLVI. *Geometrica*, qvæ rationes pro demonstranda propositione ex Elementis Euclidis aliorumqve deductas affert.

XLVII.

XLVII. *Mechanica*, qvæ rationes ex Regulis Principiisqve Mechanicis desumptas, pro probanda propositione, adducit.

XLVIII. *Demonstrationum methodus* artificium est rite disponendi plurium rationum sequelam, tum pro investiganda ignoti adhuc, cum pro demonstranda jamdum inventi Theorematis veritate. *Duplex* a. illa *methodus Synthetica & Analytica.*

XLIX. *Synthesis* s. *Compositio* artificium est demonstrandæ vel possibilitatis l. impossibilitatis, veritatis l. falsitatis propositionum, beneficio argumentationum ex Principiis desumptarum, ita quidem ut propositionum alia demonstret aliam, incipiendoscilicet a facillimis & simplicibus, progrediendo ad difficilia magisqve composta, donec ad ultimam eamqve demonstrandam perveniamus veritatem, ut evidens ipsa evadat satisqve sic aperta.

L. *Analysis* contra *Resolutio* est, ubi pro demonstranda Propositionis l. veritate l. falsitate &c. supponimus, quemadmodum jacet se habere, inquirentes porro, quid exire de se qvatur, donec per ventum fuerit ad evidentissimam qvandam sive veritatem s. falsitatem, legitima tamen adhibita singulorum ex præcedentibus consequentia.

Sufficientia a. istæ de Mathesi Universali in prælens Definitiones, reliqvas omnes, suis qvasqve Disciplinis per lustrandas subseqyentibus B.C.D.

Disputationibus reservamus.

Coroll.

Corollaria,

I.

Der Magnet ziehet weder das Eisen noch das Eisen
den Magneten / sondern der Magnet stößt das Eisen
vor sich her / und daher geschicht es / das beyde an einan-
der hängen.

(2.) Wer viel hat / und ihm wird von demselben ein we-
nigers genommen / der behält doch noch mehr als einander
der eben so viel als jener hat / ob ihm gleich das / was jenem
genommen ward / zugegeben wird.

(3.) Es verhält sich nicht also / das die Pferde denn
Wagen ziehen sondern soll der Wagen fort und aus der
stelle gehen / müssen die Pferde hinter den Wagen gespan-
net werden.

(4.) So bedarf es auch der geringsten Mühe nicht /
das einer auff der blossen Erden frey und ungehindert sie-
hen könne / daß 20 starcke Personnen ihn nicht mögen
aus der Stelle ziehen.

(5.) Es ist leichter / das einer könne 20 Pfund in die Hö-
he blasen als ihrer 10.20. Pfund in die Höhe bringen können.

(6.) Ob gleich Mathesis der Instrumenten halber manchen
Kostbahr düncket / kan und muß doch ein Mathematicus
die Entlegenheit oder distante zwener Orter / ob sie
gleich etliche Feldweges von einander / ohne einzigen von
Holz/Metall oder andrer Materia gemachten instrument,
mit einen blossen Faden weniger spannen lang abmessen/
ohne das er dürsse aus der stelle gehen.

*Ænigmata forsitan hec? quis interpretabitnr? At vero Mathe-
seos peritus vel obum Columbi dixerit. Hec enim, Gejusmodi
farine millies plura, ad oculum quasi non absque deliciis offert*


Optima Mathesis.




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn732462991/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732462991/phys_0019)







the scale towards document

*Mechanica, qvæ rationes ex Regulis
echanicis desumptas, pro probanda pro-
cit.*

*Demonstrationum methodus artificium est
plurium rationum sequelam, tum pro-
gnoti adhuc, cum pro demonstranda
ti Theoremati veritate. Duplex a. illa-
ietica & Analytica.*

*Synthesi s. Compositio artificium est demon-
strabilitatis l. impossibilitatis, veritatis l. fal-
litionum, beneficio argumentationum ex-
emptarum, ita qvidem ut propositionum
aliam, incipiendoscilicet a facilissimis & sim-
pliциe ad difficultiora magisqve compo-
nentiam eamqve demonstrandam perve-
tem, ut evidens ipsa evadat satisque sic*

*his contra Resolutio est, ubi pro demonstra-
tionis l. veritate l. falsitate &c. supponi-
rem admodum jacet, se habere, inquirendi
xir de sequatur, donec per ventum fue-
ssim qvandam sive veritatem l. fa-
litem adhibita singulorum ex præceden-
tia,*

*a. istæ de Mathesi Universali in prælens
, reliqvas omnes, suis qvasqve Disci-
plustrandas subseqwentibus B.C.D.
putationibus reservamus.*

Coroll.